



Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII

Alexander

Romae, 1667

Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)



LECTORI SALVTEM.



VANDOQVIDEM in novissimâ INDICIS LIBRORVM PROHIBITORVM Editione, jussu ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi anno post superiorem, quæ autoritate eius prodierat, haud dubiè non sine gravibus causis factâ, omissus fuerat Index Tridentinus qualis à CLEMENTE VIII. publicatus est, necnon DECRETA quæ postea in eâ materiâ edita sunt: Nos qui necesse habuimus postremam illam Editionem utpote minus intricatam, & præsertim nonnullis locis auctiorem, tibi repræsentare; nequid decederet tuæ utilitati, ex omissione illarum partium, unde prima Prohibitionis origo arcescitur: Opera pretium duximus, post exhibitum tibi omni fide & integritate Exemplar Romanum Anni millesimi sexcentissimi sexagesimi quinti, quod postremum est hic subnectere ex supradictâ Editione INDICIS ROMANI Anni MDC LXIV; INDICEM TRIDENTINVM atque eâ DECRETA quæ dein à SS. CONGREGATIONIBVS, tum INDICIS, tum S. Officij, tum etiam à Magistris Sacri Palatij emanarunt. Conquisivimus insuper omni studio DECRETA, quæ post publicationem illius Operis, de novo in Vrbe condita sunt in hunc usque diem, ut agnoscas curiosa piorum diligentia hic à nobis plenius satisfactum. Non igitur erit quod conqueratur aliquis de hoc præcedentis operis veluti supplemento; cum sit reliquorum basis & fundamentum, nihilque omnino exhibeamus tibi, quam quod ex Duabus illis EDITIONIBVS Authenticis omnique exceptione maioribus, fideliter hic expressimus, atque ex DECRETIS quæ recens Romæ locis solutis affixa & publicata nancisci potuimus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN